

tunc dicta consuetudo de Carsis habeatur et intelligatur esse una eadem consuetudo cum antiqua consuetudine Tergesti.

Cap. LVII. Rubrica de obligationibus fiendis
et factis per uxores hominum de Tergesto
5 et quam firmitatem habeant.

Providemus statuendo quod uxores hominum de Tergesto
tam civium quam habitatorum, si erunt nupte ad consuetudinem antiquam civitatis Tergesti, // et reperirentur esse 239 A
obligate in aliquibus instrumentis preceptis vel scripturis, tam
10 venditionum obligationum de fixso vel mobili quam aliarum
promissionum, cum consensu et voluntate mariti sui, habeantur et intelligantur esse obligatas et se potuisse legitime obligare, et secundum quod reperiretur in talibus instrumentis vel preceptis vel aliis scripturis, ita observari debeat, tanquam
15 quilibet homo sui iuris obligatus esset; et obligatio aliter facta per ipsam, idest¹⁾ sine consensu viri, non valeat nec teneat.
¶ Salvo quod, si aliqua mulier esset nupta secundum consuetudinem Venetiarum vel novam consuetudinem Tergesti, quod se obligare non potest apparente primo de matrimonii consuetudine per publicum instrumentum; et si appareret aliquam
20 mulierem uxorem alicuius hominis de Tergesto esse obligatam ut dictum est, et eidem aliqua questio fieret de predictis coram dominio Tergesti, et ipsa mulier allegaret non esse nuptam ad antiquam consuetudinem et ideo non teneri ad dictam obligationem,²⁾ asserendo se ad aliam consuetudinem esse nuptam,
25 quod tunc ipsa mulier probare debeat per publicum instrumentum id quod per eam allegaretur, et aliter eius allegatio sit ipso iure nullius valoris,³⁾ et hoc intelligatur tam de preteritis quam de futuris.

¹⁾ Aggiunta sul rigo.
marginale.

²⁾ obli. aggiunta marginale.

³⁾ Aggiunta